

Prob. 2^a pars (*externus cultus*). 1^o Pars hominis corporea nobile ac praeclarum Dei opus est; *e.* tenetur homo vitare quidquid abjectum vel turpe, sordidum vel ridiculum, vel humanae dignitati contrarium sit, in eo corpore tractando, vestiendo, locando, continendo.

Prob. 2^o Corpus hominis animae substantialiter unitum, necessario in animae actus et affectus influit; *a.* animae actus et affectus sunt elevandi et curandi; *e.*

Prob. 3^a pars (*cura moderata*). Cura nisi moderata sit, 1) magis officit quam prodest, ac ipsa suum finem impedit, 2) necessario impedit curam rerum superiorum, facultatibus superioribus utitur tanquam mediis ad inferiora curanda; — *e.* invertit rectum ordinem.

Coroll. Ergo existimandum non est, *omnia* quae ad externum decorem spectant, *a solis* adjunctis, opinione et consuetudine hominum pendere; quamquam magna *ex parte* id concedendum est.

Propositio 80.

Vitae austeritates, virtutis causa prudenter susceptae, licitae sunt et laudandae.

Notiones. *Austeritates*, i. e. durus et asper modus vivendi ac proprium corpus tractandi, sive convenientium privatione, sive etiam positiva physici doloris inflictione.

Virtutis causa, i. e. vel quia ad finem ultimum obtinendum sint homini eas suscipienti moraliter necessariae, vel ad eum facilius ac perfectius obtinendum valde utiles.

Prudenter susceptae, i. e. ita intra limites contentae, ut quamvis de corporis viribus nonnihil deterant, nunquam tamen in morbum inducant, nec virium intellectualium et moralium exercitium impediunt.

Stat. quaest. Protestantes et recentiores omnem corporis castigationem, tanquam juri naturae adversantem, et ascetarum dementiam reprehendunt.

Prob. Moderata vitae austeritas, 1) viribus corporis multum favet, nedum eas frangat, 2) etiam si illis aliquantulum noceret, si virtutis causa suscipitur, ad finem ultimum est medium aptius quam illae abundantiores vires, eisque praeferrere potest, 3) etiam si per accidens vitam ipsam paulo abbreviaret, licitum tamen est minus et particularius bonum negligere propter bonum majus et universalius, ejusque amissionem permittere (non ipsam intendere).

Propositio 81.

Tenetur homo suae bonae famae curam moderatam habere.

Prob. Existit officium adhibendi media licita et necessaria ad officia diversa implenda; *a.* bonae famae moderata cura est medium licitum, et saepe necessarium ad diversa officia implenda; *e.*

Ad min. 1 part. (licitum). Bona fama est in se bonum indifferens, non moraliter malum; eamque moderate appetere naturae rationali convenit, scilicet eam ut medium indifferens ad bonum finem.

Ad 2 part. (necessarium). Sine bona fama saepe impossibile est vitam propriam et familiae conservare, necessariis ad statum providere, officia propria implere v. c. magistratus, sacerdotis, magistri, mercatoris, opificis...

Ad 3 part. (sed moderata). Si ultra modum appetit bonam famam, necessario labitur homo in vitia et injustitias, v. c. ambitione cupiens bonum nomen etiam non meritum, vel cum damno aliorum melius merentium, vel etiam propter malam hypocrisim...

CAPUT IV.

DE JURIBUS ET OFFICIIS ERGA ALIOS.

Jura erga Deum vel erga seipsum proprie dicta nulla habere potest homo; quare in praecedentibus capitibus de solis officiis potuit esse sermo; at nunc quum de relationibus hominum inter se agendum sit, redeunt et officia et correspondentia jura. In his tamen omnibus, sicut initio monuimus, homines inspicimus prout privata activitate utuntur, ac naturaliter aequales inter se conveniunt; nondum scilicet de sociali activitate loquimur, neque homines tanquam membra varie ordinatae societatis humanae consideramus.

De his ergo juribus et officiis prius aliqua generalia dicenda sunt, deinde de singulis specifica. Erit ergo:

- Quaestio 1. De illis juribus et officiis in genere.
- Quaestio 2. De juribus et officiis quoad animam.
- Quaestio 3. Quoad corpus.
- Quaestio 4. Quoad honorem.
- Quaestio 5. Quoad proprietatem.
- Quaestio 6. Quoad fidem datam servandam.

QUAESTIO 1.

De illis juribus et officiis in genere.

Propositio 82.

Tenetur homo lege naturali, alios homines, etiam inimicos, amare sicut seipsum.

Notiones. 1) Fundamentum officiorum erga alios homines est identitas naturae inter omnes homines existens; — eorumque formula generalissima est haec nostra propositio.

2) *Sicut seipsum*, scilicet *objective*, i. e. aliis velle et nolle eadem bona et mala ac sibi ipsi; non autem *intensive*, i. e. aequali affectus intensitate.

Prob. 1^a pars (*alios homines*). Tenetur homo se conformare finibus a Deo intentis, et sibi notis; *a.* finis Dei, homini notus, est ut omnes homines directe ad finem ultimum tendant; *e.* tenetur homo velle bonum ultimum omnium, i. e. omnes vere amare.

Ad min. Fines Dei innotescunt ex consideratione naturalium facultatum; *a.* omnes homines habent facultates superiores directe ad Deum tendentes; *e.*

Prob. 2^a pars (*etiam inimicos*). Obligatio amandi homines alios, non ex sensu sed ex ipsa eorum natura oritur; *a.* ejusdem naturae sunt etiam inimici; *e.*

Coroll. 1^m Ergo nemo tenetur alios tam intensive amare quam seipsum, nam *a)* voluntas sequitur intellectum; *a.* intellectu repraesentatur bonum proprium ut intimius connexum cum propria natura individui, ac proin ut majus bonum; *e.* — *b)* ex ordine rationis nullo modo erui potest, proprium bonum, ceteris paribus, esse bono alieno aequandum vel etiam postponendum; quum nobis ipsis simus identici numero, aliis tantum specie aequales. — *c)* quinimo physice impossibile est non magis se quam alios amare intensive.

Coroll. 2^m Ergo si aequalis est necessitas vel aequale periculum, non est contra mutuae caritatis officium, prius sibi quam alteri providere.

Coroll. 3^m Ergo officium caritatis non in utilitate, sed in ipsa natura fundatur, et est rigorosum.

Coroll. 4^m Ergo oritur amor proximi ordinatus ex amore Dei.

Coroll. 5^m Ergo officium *justitiae* est aliis cooperari, eos juvare, quoties iis cooperatio est absolute necessaria ad finem; officium *caritatis* seu *benevolentiae* est, quoties non quidem necessaria sed utilis est cooperatio; *malevolentiae* est actus, quoties cooperatio est ad finem ultimum noxia.

Coroll. 6^m Ergo odium inimici est contra legem naturalem, neque excusatur ob injuriam alterius.

Coroll. 7^m Ergo etiam inimicis debemus signa benevolentiae communia, non quidem specialia. — Liceret tamen ab omni externo benevolentiae signo abstinere, si per ea forte audacius induceretur inimicus ad nocendum iterum...

Propositio 83.

Vindicta licita est, dummodo poena proportionata sit injuriae illatae, et ulciscens animus ut finem intendat non malum peccantis, sed bonum obtinendum.

Notiones. 1) *Vindicta* saepe definitur: malum physicum ei illatum qui alicujus jus laesit, ut aequalitas restituatur; — sed minus bene, nam ad restituendam aequalitatem requireretur ut qui injuriam alicui intulit, eandem prorsus poenam ipse experiatur; *a.* plerumque exercetur vindicta vera sine poena talionis proprie dicta; *e.*

2) Definiatur ergo: malum physicum ei qui jus alicujus laesit illatum, ut ordo violatus reparetur.

Prob. Honestus et licitus est actus quo ordo moralis violatus reparatur; *a.* talis est actus vindictae dummodo duae propositae cautiones adsint; *e.*

Ad min. Si prior conditio adest: injuria illata rationem habet demeriti erga subjectum laesum; *a.* qui ab alio demeritus est, honeste potest ab illo recipere retributionem demerito congruam; *e.*

Si altera conditio adest: vindex non exercet actum inimicitiae et odii, quod semper illicitum est, sed actum justitiae, quod licitum est; *e.*

Coroll. 1^m Ergo vindicta, ut ordinis active procuranda reparatio, nequit spectare nisi ad illum qui totius ordinis moralis auctor et conservator universalis est (Deum), vel ad illum relate ad quem ordo particularis violatus fuit (hominem offensum).

Coroll. 2^m Ergo vindictae fines minime essentielles, sed secundarii et accidentales sunt, ut restituatur bonum ablatum v. c. a fure, vel ut malefactori timor incutiatur quominus iterum noceat, vel ut aliis exemplo sit quominus et ipsi noceant, vel ut ipse malefactor corrigatur ac culpam suam lugens melior fiat. — Qui si adfuerint fines, licita erit a fortiori dicenda vindicta.

Propositio 84.

Magno hominum bono, vindictae exercendae potestas in societate reservata est auctoritati.

Notiones. In societate, quacumque scilicet, domestica, civili, etc... inter cujus membra inciderit laesio.

Auctoritati, i. e. supremo imperanti, et curam societatis habenti.

Reservata, ita ut in societate existentibus membris, non liceat privata actione vindictam sumere, sed debeant eam curam auctoritati committere, ab eaque jus suum vindicandum exposcere.

Prob. Magnum hominibus bonum est: 1) si vindicta non ultra modum exerceatur sed intra justitiae limites, 2) si vindicta non pacem inter homines in diuturna tempora turbet; *a.* in societate id fieri nequit nisi vindicta auctoritati reservata sit; *e.*

Prob. min. 1 part. (intra justitiae limites). Propter passionum impetum, et errorum multiplices causas, *a)* saepe nulla vera sed existimata solum injuria ad vindictam induceret; — *b)* saepe non verus auctor illatae injuriae, sed alius insons vindictam pateretur; — *c)* saepe non vera proportio servaretur inter poenam sumendam et injuriam illatam; — *d)* vix unquam ex animo justitiae potius quam ex odio inimicitiae agerent homines.

Prob. 2 part. (pacis turbatio). Ob easdem causas, *a)* vix unquam ille qui poenas daret fateretur juste se plecti, nec sibi injuriam inferri aestimans, jus sibi arrogaret vindictam pro vindicta reddendi; — *b)* mox omnia suspitionibus, odiis, terroribus, caedibus, insidiis replerentur.

Coroll. Ergo non per se, sed per accidens, vere tamen illicita est privata vindicta inter homines in societate.

QUAESTIO 2.

De juribus et officiis erga alios quoad animam.

Propositio 85.

Mendacium est intrinsece malum, unde semper illicitum.

Notiones. 1) *Mendacium* ab aliis definitur cum S^o Augustino : falsa significatio contra mentem cum animo fallendi; — scilicet : a) *falsa significatio*, i. e. sive verbis, sive gestibus, sive nutibus, sive alio quovis modo conceptibus significandis apto; — b) *contra mentem*, i. e. non simpliciter contra veritatem, sed contra veritatem cognitam vel existimatam, seu contra veritatem; — c) *cum animo fallendi*; sive formaliter habito, sive interpretative, nempe quum loquens sciat sua signa in concreto sumpta fore aliis deceptionis causam.

2) Ab aliis cum S^o Thoma definitur : locutio contra mentem; — scilicet : a) *locutio*, quocumque signo expressa; — b) *contra mentem*, i. e. qua id exprimitur quod ab ipso loquente falsum esse sciatur vel aestimetur; — c) neque addendum in definitione : *cum animo fallendi*, quia ille in locutione ex natura rei semper aderit; nam loquela per se, ex natura rei, ad hoc destinata est solum, ut audienti persuasionem faciat conformem.

Stat. quaest. 1) Aestimabant Plato et antiquiores aliqui SSⁱ Patres graeci, licitum esse mendacium utile seu officiosum.

2) Recentiores aliqui, H. Grotius, Sam. Puffendorf, Heineck, verbis nobiscum videntur consentire, mendacium esse semper illicitum; sed revera mente dissentiunt, nam definiunt *mendacium* : sermonem repugnantem juri alterius; quod autem nos mendacium dicimus illi vocant *falsiloquium*, adduntque id licitum esse aliquando, v. c. si alterius juri non opponatur, si gravis adsit ratio...

Prob. Mendacium est locutio formalis contra mentem; a. locutio formalis contra mentem est intrinsece mala; e.

Prob. maj. (via ascensus). Mendacia varia sunt : a) locutio contra mentem loquentis, et aliis damnosa (mendacium damnosum), — b) locutio contra mentem loquentis, ad utilitatem, excusationem, etc. (mendacium utile), — c) locutio..., ad hilaritatem ex alterius errore procurandam (mendacium jocosum). — d) sed mendacium nemo dicet verba contra mentem loquentis, quae evidenter falsa et incredibilia neminem in errorem inducere, sed solum v. c. risum movere possint (quia haec non vere locutio formalis, sed materialis tantum sit, quum nullam fidem facere natura sua possit); — a. in his omnibus quae mendacia dicuntur, illud solum commune elementum est : locutio contra mentem, seu quod loquens scienter falsum formaliter dicat; e.

Prob. min. 1) Facultas loquendi natura sua essentialiter data est homini ad mentem suam aliis revelandam; a. contra hunc finem essentialem abusus, et malum est, ea facultate uti ad contraria exprimenda; e.

ad maj. Haec facultas natura sua ad vitae consortium cum aliis hominibus fovendum et retinendum tendit; a. haec naturalis tendentia arguit naturalem finem manifestandi mentem loquentis; e.

ad min. Potentia naturalis a) ex ipsa essentia necessario emanat et cum ea tamquam essentiae proprietate connexa est, — et b) ad unicum finem ordinata est, — c) ac proinde manifestat voluntatem Dei per modum legis naturalis; — a. intrinsece malum, et abusus contra naturam est, contra hanc voluntatem Dei illa potentia uti ad finem contrarium (non solum alienum quovis modo); e.

Prob. min. 2) Intrinsece malum est alii damnum arbitrarie sine ratione sufficiente inferre; a. hoc facit locutio contra mentem; e.

ad maj. cfr. prop. 82.

ad min. a) (*infert damnum*). Infert errorem menti alterius (ad hoc enim natura sua dirigitur locutio formalis contra mentem loquentis); a. error est malum intellectuale positivum, non solum negativum sicut ignorantia; e.

b) (*sine ratione*). Sola ratio sufficiens excogitari posset necessitas celandae veritatis; a. in omni necessitate poterit sine locutione contra mentem sufficere restrictio mentalis in aequivocatione (de qua cfr. infra); e.

Objic. 1^o Ex modo argumentandi sequeretur, intrinsece malum fore omnem usum instrumenti cujusvis non secundum finem hujus instrumenti (si v. c. cultro non seco sed rado vel impingo, aciem ejus obtundendo); a. hoc est absurdum; e. — R. d. maj. instrumenti, i. e. facultatis naturalis, ab ipsa natura ad certum aliquem finem concessae, c; instrumenti artificialis, cujus usus et finis, imo ipsa essentia a libera voluntate hominis dependet, n; — c. d. min.

Objic. 2^o Argumentum supponit instrumentum, seu facultatem nonnisi unicum finem habere posse sibi essentialem, extra quem nullius possit esse utilitatis licitae; a. hoc est falsum; e. — R. d. maj. supponit hoc de facultatibus naturalibus, ab ipsa natura concessis ad certum aliquem finem naturalem, c; de omni instrumento ad finem arbitrarium ab artifice excogitato, n; — c. d. min.

Objic. 3^o Ex argumento sequeretur saltem, intrinsece malum abusum fore, si facultate naturali et organo utar in alium usum quam ejus naturalem finem, si v. c. folium vel florem arboris fricem et conteram, atque ita vegetationem impediam; a. hoc absurdum est; e. — R. d. maj. malum, si ipsa arbor suis facultatibus et organis sic abuteretur libere, c; si homo, totius arboris dominus et finis ultimus istius essentiae, ea utatur etiam contra ejus finem naturalem particularem..., n; — c. d. min.

Propositio 86.

Restrictio non pure mentalis aliquando sub debitis conditionibus est licita.

Notionis. 1) *Restrictio mentalis* est limitatio communis et obvii sensus verborum ad aliquem particularem sensum, mente loquentis.

2) Alia est *restrictio pure mentalis* : verborum detorsio ad sensum quem ex se nullo modo habent, sed ex solo loquentis arbitrio, ita ut ab audiente ex nullo adjuncto percipi possit.

3) Alia est *restrictio late mentalis* seu *non pure mentalis* : verborum, plures sensus revera habentium (sive ex se sive ex adjunctis), limitatio ad unum ex his sensibus, determinatum ex arbitrio loquentis, ita ut ab audiente percipi quidem possit, sed facilius et probabilius alio sensu sit sermo intelligendus; estque hic sermo ambiguus et aequivocans.

Stat. quaest. 1) Restrictio pure mentalis nunquam licet, quia est verum mendacium, nam et locutio illud exprimit quod menti loquentis opponitur, neque ex solo interno loquentis arbitrio non manifestato dependere potest ut verba, signa conventionalia, aliud significant quam usus eorum receptus fert.

2) Restrictionem late mentalem dicimus licitam esse : a) *aliquando*, i. e. non passim, arbitrarie, sine ratione sufficiente, sed solum propter graves proportionatas causas; b) *sub debitis conditionibus*, i. e. dummodo auditori sagaci possibile sit aequivocationem discernere, ac concludere loquentem nolle veritatem manifestare; et dummodo ipse loquens non intendat ut finem errorem alterius, sed potius occultationem veritatis non revelandae, cum permissione erroris.

Prob. Fieri potest ut adsit aliqua gravis proportionata necessitas, propria vel aliena, ac proinde certum jus veritatis non revelandae; *a.* medium ad hoc aptum, et in se non malum, et imo necessarium, est aequivocatio et restrictio mentalis; *e.*

Ad min. 1 part. (est medium aptum). Non revelat veritatem, nam de facto auditor si minus attendit, errabit; si bene attendit, videbit ex duobus sensibus neutrum potius dici, et suspensus manebit.

Ad 2 part. (non est malum). Non per se falsum dicit, sed habet aliquem sensum verum, a loquente intentum; et supponitur ratio sufficiens permittendi errorem qui per accidens sequitur.

Ad 3 part. (est necessarium). Non potest aliter veritas occultari : non mendacio (quod non licet), nec silentio (quod potius rem proderet); *e.*

Schol. 1^m Fieri potest ut eadem verba quae nude sumpta essent mendacium, ex adjunctis fiant mera aequivocatio licita; v. c. a) confessarius ea quae ex confessione novit potest, imo debet, negare sibi esse cognita (scilicet scientia communicabili); — b) reus nondum convictus respondere potest se crimen non fecisse (i. e. quod fateri teneatur antequam sit probatum); — c) item ejusdem rei causidicus; — d) viator latroni dicere potest se nihil amplius habere (i. e. quod dare teneatur); — e) quivis contra jus, indiscrete, ex improvise interrogatus, contrarium veritatis celandae respondere potest (i. e. ex adjunctis : alter melius rei cognoscendae jus non habet). — Neque ista erunt mendacia, neque restrictiones mere mentales, nam verus sensus satis clarus esse potest ex adjunctis, sicut per solum gestum etiam perfici potest sensus propositionis incompletae. — Neque illicita est dicenda haec

tanta restrictio, nam secus coram astutioribus et audacioribus, omni medio legitimo jus suum naturale defendendi privarentur simpliciores pacificique, et quidem ipsa lege naturali.

Schol. 2^m Ex duabus hisce propositionibus satis patet mendacium vel restrictionem pure mentalem, quum sint intrinsece mala, non tamen magnae gravitatis culpas esse, nisi quando damnum grave inde sequi possit; nam de se non gravis est abusus loquelae; nec grave malum spirituale, sed facile reparabile, efficit.

Propositio 87.

Scandalum est intrinsece malum, unde semper illicitum.

Notiones. *Scandalum* est locutio vel actio vel omissio minus recta quae aliis praebeat occasionem peccandi (sive hortando, docendo, exemplo, vel aliter influat); — scilicet : *minus recta*, i. e. sive mala sive specie mali aliis apparens, quin verius discernere possint; — *praebeat occasionem*, i. e. si tales sunt testes ut exinde possint ad peccatum adduci, quod secus non erant peccaturi (unde scandalum non est, si testes potius indignabundi sint reaturi).

Prob. Tenetur homo cooperari, vel saltem non impedire, ut alii finem ultimum consequantur; *a.* scandalum per se tendit ad impediendum...; *e.*

Schol. 1^m Minime tamen scandalum vere est, nec malum, illud quod scandalum pharisaicum dicitur, i. e. actio vel locutio bona et legitime facta, ex qua alii propter suam malitiam occasionem peccandi sumunt.

Schol. 2^m Hoc officium vitandi scandali idipsum est quod recentiores saepe vocant officium *honestatis publicae*, i. e. ita se gerendi ut alienas passionem non immoderate quis excitet, neque a recto ordine abducat. Sed minus recte illi loquuntur, nam officium ad relationes publicas restringere videntur, quum tamen scandalum etiam privatum et occultum certe sit malum, idque eodem titulo.

QUAESTIO 3.

De juribus et officiis erga alios quoad corpus.

Propositio 88.

Homicidium est lege naturali illicitum.

Notiones. *Homicidium* est occisio hominis ab eo qui nullum ad id jus actuale positivum habet. Nam homicidium non dicitur occisio quae jure merito patrat, de qua cfr. infra.

Prob. 1^o Lege naturali illicitum est jus usurpare quod soli Deo competit; *a.* hoc facit homicida; *e.*

Ad min. Solus Deus habet dominium vitae et mortis hominum; nam ipse solus est vitae summus dispensator ex quo oriatur, providus gubernator a quo in omnibus dirigatur, ultimus finis ad quem disponatur et tendat.

Prob. 2^o Unusquisque habet jus conservandae vitae, ut medii ab auctore naturae dati ad finis consecutionem; *a.* hoc jus alterius laedit homicida; *e.*

Coroll. Iisdem argumentis probatur esse illicitum, alium laedere in corporis membris, mutilando, etc; vel in libertate.

Propositio 89.

Licita est propriae vitae vel libertatis defensio contra injustum aggressorem, etiam usque ad hujus occasionem necessariam.

Notiones. 1) *Injustus aggressor* ille est qui alterum sine sufficiente auctoritate aggreditur. — Non dicimus sine sufficiente ratione, quia etsi quis mortem mereatur, non ideo quilibet privatus jus habet illum interficiendi.

2) *Libertas hic servituti* opponitur, estque dispositio pro nutu proprio proprii corporis propriarumque externarum operationum; — neque est haec opposita variis obligationibus et subordinationibus inter homines, ex contractibus, ex conditionibus et statu vitae...

3) *Occisio necessaria*, i. e. si nullo alio medio honesto possit conservari vita vel libertas, v. c. fuga, vel ictibus, vel vulneribus non mortalibus; ita ut semper adsit *moderamen inculpatae tutelae*, quae quatuor dicit: a) ut non major violentia inferatur quam quae necessaria; — b) ut adhibeatur in ipso actu aggressionis; — c) ut sit unicum medium; — d) ut sola sui defensio intendatur per se, non ipsa mors vel vulnus aggredientis.

Stat. quaest. 1) Supponitur hic officium hominis erga seipsum, quo tenetur media quaedam positiva ad conservationem sui adhibere; et quaeritur utrum haec media etiam usque ad aggressoris necem se extendant.

2) Non quaeritur utrum justus aggressor interfici possit, nam hoc patet esse illicitum; — nec quaeritur de casibus particularibus, v. c. a) utrum homo juste proscriptus possit vi repellere privatum qui vellet eum occidere; — b) utrum innocens nec condemnatus possit usque ad necem repellere hominem qui actu non humano eum invaderet, v. c. ebrium, stultum; — c) utrum damnatus sed innocens possit repellere aggressorem auctoritate publica deputatum; — d) utrum ad propriam vitam fuga tuendam liceat innocentem interficere qui casu occurrerit viam omnem praeccludens;... haec enim potius ad casuisticam pertinent. — Sed quaeritur de casu generali.

3) Respondent rationalistae multi, licere quidem aliquomodo tueri propriam vitam, dummodo non intuitu proprii commodi; sed nunquam licere, etiam imminente propriae vitae discrimine, interficere injustum aggressorem.

4) Respondetur communiter, licere ad tuendam vitam vel bona moraliter aequivalentia vitae, i. e. secundum communem hominum aestimationem.

5) Supponimus, quod ab omnibus admittitur: a) ad jus ab injusta aggressionem tuendum, licitum esse vim adhibere; b) in adhibenda vi licere, si necesse sit, injusto aggressori damnum inferre (nam secus jus se tuendi esset nullius efficaciae, et faveret lex moralis injustitiae).

Prob. 1^a pars (propriae vitae). Unusquisque habet jus ad conservandam vitam, et ad media ad hoc necessaria, dummodo his mediis utendo aliorum jura certa non violet; *a.* in injusta aggressionem fieri potest ut mors aggredientis sit unicum medium servandae vitae, nec ejus occisio jura certa laedit; *e.*

Ad min. 2 part. Habet quidem uterque idem jus ad conservandam et tuendam vitam, sed in conflictu praevalet jus fortius, suspensum manet alterum; *a.* fortius est jus ejus qui periculum non libere subiit, et injustam aggressionem repellit, non vero ejus cui defensio non est necessaria sed vel cessare vel non aggredi poterat; *e.*

ad min. Secus lex naturalis postularet ut jus injuriae cedat, i. e. ut injuria et malitia fiant jure meliora; et ita audaciam malorum ipsa efficacissime foveret.

Prob. 2^a pars (libertatis). Ob easdem rationes idem jus concedit lex naturalis ad defendenda alia bona moraliter vitae aequivalentia; *a.* libertas hominis est bonum tale; *e.*

Ad min. Libertas ipsi vitae moraliter aequale bonum habetur in aestimatione communi hominum: 1) propter jus hominis uniuscujusque tendendi ad finem suum ultimum per activitatem suam independenti nutu suo dirigendam; — 2) propter practicas plurimas difficultates, aerumnas, abjectionem et contemptum, quae servituti morti non anteponendam facere videantur.

Coroll. 1^m Eodem modo etiam licet (ob easdem rationes) defendere corporis integritatem ab omni mutilatione membrorum; — item etiam bona alia si sint ad vitam necessaria; — sed circa bona magni momenti quae tamen vitae non essent necessaria disputari posset.

Coroll. 2^m Eodem modo defendere vitam, libertatem, integritatem etiam suorum, v. c. paterfamilias potest, imo debet.

Coroll. 3^m Exercitium juris ad propriam defensionem etiam cum occisione aggressoris, non est *per se obligatorium*, nam potest homo altius bonum spectare, v. c. heroicæ virtutis actum, vel aeternam aggressoris salutem, et suam mortem permittere; — sed potest esse *per accidens obligatorium*, si v. c. peccatorum suorum conscius, certus sit se beatitudine aeterna esse privandum si nunc moriatur, vel si ex sua morte bonum commune, familiae, etc. periclitari certo noverit.

Coroll. 4^m Eodem modo etiam pudicitiae defensio est licita, etiam usque ad aggressoris necem necessariam; nam 1) aliter ingens est periculum consensus, rarissime superabile; 2) etiam si voluntas omnino renuat, gravissimum inducitur periculum virtutis in posterum, foedissima relinquuntur vestigia in mente et corpore; 3) gravissimum dedecus infligitur contra honorem et dignitatem personalem.

Objic. 1^o Solus Deus est dominus vitae; *a.* hic homo eam destruit; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* eam intendit destruere, *n;* ejus destructionem permittit, ut medium unicum conservandae suae vitae, *c.*

Objic. 2° Non licet facere malum ob finem bonum; *a.* hic fit homicidium ad finem bonum; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* fit homicidium, *n.*; fit defensio ex qua vel per accidens sequitur mors alterius et permittitur, vel etsi per se aliquando sequitur, non tamen imputatur ob conflictum cum jure fortiore, *e.*

Objic. 3° Talis occisio esset *a)* exercitium auctoritatis in alium, *b)* actus vindictae. — *R. n. totum.*

Objic. 4° Aggressoris mors est connexa cum ejus perditione aeterna. — *R. d.* ipsi imputanda, *c.*; secus, *n.* (neque ordinario erit spes mutationis futurae in bonum si aggressor superstes servatur, sed potius crescet audacia).

Propositio 90.

Quicumque ob injustam alterius aggressionem in vitae vel libertatis periculum venit, habet jus ad subsidia omnium qui necessariam ei opem afferre possunt.

Prob. Omnis homo habet officium cooperandi ad alienum bonum, praesertim ad aliorum conservationem, si opus fuerit (nam debet alios amare sicut seipsum); *a.* huic unius officio respondet in altero jus ad eam cooperationem et subsidia; *e.*

Ad min. Per se hoc jus esset commune tum aggressori tum se defendenti; sed per accidens soli se defendenti competit, nam aggressoris jus in conflictu cedere debet, quum ipse sua culpa et limites necessitatis et rationis transgressus sit, et alteri necessitatem defensionis creaverit.

Coroll. 1^m Ergo omnia quae ipsi defendenti contra aggressorem licita sunt, etiam opitulantis licita sunt.

Coroll. 2^m Ergo a fortiori nemini licet aggressori opem contra licitam moderatam defensionem ferre, vel defensorem impedire a jure suo exercendo.

QUAESTIO 4.

De juribus et officiis erga alios quoad honorem.

Propositio 91.

Tenetur homo aliorum honorem et bonam famam non laedere.

Notiones. 1) Honor *formaliter sumptus* est bona existimatio quam de aliquo alii homines habent. — Honor *radicaliter sumptus* est decor virtutis et aliarum dotum personam ornantium, unde aliorum existimatio exurgat. — Honor *adaequate sumptus*, i. e. cum ultimo suo complemento, est bona aliorum existimatio signis externis manifestata.

2) Differt *honor a bona fama* *a) extensione*: honor habetur quoties etiam a paucis, vel imo ab uno, manifestatur aestimatio, fama solum si apud multos propagatur; *b) fine*: honoris manifestatio est mera expressio internae aestimationis, famae manifestatio est ad propagandam apud alios eandem aestimationem.

3) Laeditur honor *contumelia, conviciis*, si verbis vel signis coram aliquo contra ejus honorem aliquid fit; — laeditur bona fama: *a) calumnia*, si falso crimine aliquis accusatur; *b) detractio*, si crimine vero accusatur, sed sine causa sufficiente, vel sine jure.

Prob. 1^a pars (*bonam famam*). Bona fama est in consortio hominum medium necessarium ad liberam et convenientem vitam; *a.* ad tale medium unusquisque jus habet, quamdiu non publico flagitio suo illud abjecit; *e.*

Prob. 2^a pars (*honorem*). Honor proximi dicit in honorante *a) rectitudinem* iudicii de aliorum virtute et bonitate, *b) ejusdem* iudicii externam manifestationem congruam; — *a.* ad utrumque omnis homo tenetur (saltem negative, i. e. ita ut nihil contrarium faciat); *e.*

Ad min. 1 part. (rectitudinem iudicii). Error est *a)* malum intellectus proprii, quod quisque in seipso vitare tenetur (cfr. prop. 74); — *b)* malum illius de quo iudicatur injuste illud quod ipse meritus non est; *e.*

Ad 2 part. (manifestationem). Manifestatio non conformis iudicio interno recto esset *a)* mendacium, quod illicitum semper est; — *b)* violatio relationum objectivarum agentis ad talem hominem merentem; *e.*

Coroll. 1^m Quidquid injuste ablatum fuit, restitui debet; ergo et honor et fama.

Coroll. 2^m Mera probabilitas aut suspicio nequit alios jure certo privare; ergo illicitum est iudicium temerarium.

Coroll. 3^m Homo etsi privatim ut malus notus, nondum amittit jus publicae bonae famae, nisi per hanc jura certa aliorum violantur.

Propositio 92.

Illicita est honoris et bonae famae cruenta defensio.

Stat. quaest. 1) Prae oculis habendum: *a)* utrum praesente an absente eo qui laeditur, fiat laesio; nam si eo absente fiat, tutela potius vindicta post laesionem quam defensio in actu aggressionis erit; — *b)* utrum honor per injuriam verbalem (i. e. verbis vel signis quae corpus non afficiant), an per injuriam realem (i. e. factis quae ita contemptum significant, ut simul corpus afficiant, v. c. alapa, verberibus), laedatur.

2) Propositio vitam hominis inter homines privatam respicit, abstrahendo ab organisatione sociali, sed merum consortium humanum supponit; eritque a fortiori vera in societate constituta.

3) Idem dicimus de tutela *honoris vel famae*, sive ea ad modum vindictae justae, sive ad modum defensionis exerceatur; scilicet honoris et famae tutelam proportionatam ac proinde licitam non esse sanguinis effusionem, vel necem.

Prob. 1° Jus tueri non licet nisi mediis necessariis et efficacibus; *a.* quoad jus honoris et famae medium nec necessarium neque efficax est effusio sanguinis; *e.*

Ad maj. Omne jus oritur ex fine et ordine mediorum.